

Παρήλιος Græcis, & Latinis *Parelius*, ex Παρ & ἥλιος. h. e. sole, componenda vox est. Triplici autem modo Præpositionem Παρ hic accipi posse docet *Meurerus*, in *Meteorol. p. 94.* Vel enim significat juxta; quia Parelius videtur quasi Sol novus juxta verum Solem positus: vel notat *Similitudinem rei*; quoniam Parelius Soli quiddam simile est: vel denique infert *depravationem & falsam speciem*; quia Parelius Sol falsus est, & inanis quædam imago aut species Solis non genuina. Exempla harum significationum τὸ Παρ apud Autorem laudatum multa sunt. Inde Germanis etiam nostris Parelius propter situm apparentem ad latus Solis, audit eine Neben-Sonne: ob formæ similitudinem, eine gleiche Sonne/oder der Sonnen gleich; Et ob falsitatem, sive nudam apparentiam, eine falsche / eine unrechte Sonne. Παρήλιον Gaza vertit per Solem geminatum; Ab aliis dicitur Effigies Solis, Simulacrum Solis, Spurii Soles; à Seneca, Imago Solis.

§. 2. Non autem in præsentī loquimur de Parelio, quem hic in terris inter homines vel Naturam ipsam fingere, vel humanum ingenium eleganter adaptare cernimus. Naturam enim, quasi cælum contemplata fuisset, in nonnullis gemmis Solem radiosâ projectione stupendissimè effigiisse, refert *Kircherus Mund. Subt. Tom. II. Lib. 8. Sect. 1. c. 9.* Unde ab eo *Gemma Heliaca* audit; sibi quæ, cum grande Naturæ miraculum à Francisco Qualdò ostensam esse, memorat. Ut *Hominis*, in cuius ingenio Deus & Natura extremum potentia suæ ostenderunt, opera egregia, admiranda quæ in Sole effigiandò, ac augendo quasi ejus numerum, sileam potius, quàm aut de iis pauca dicam, aut leviter tangam. Loquuntur autem *Historia*, restatur quotidiana experientia, confirmat & (ut unum tantum addam) *Idolum gentis Peruanæ Solare*, superioribus annis famosissimum: quod adeò mirè affabre, ex auro ad Solis imaginem confectum erat, ut quodammodo saltem radiis Solaribus externè fibratum, in tantam mox claritatem, fulgoremque excresceret, ut crederent accolæ advenæ, Solem de cælo terram versus migrare, aut sese veluti res omnes specie novâ (Logicam dicunt Philosophi) adaugere posse. Vid. *Coranus Izta polka* in *Descript. terræ Peruanæ &c.* Sed nunc de *Meteoro* nostra instituta est disputatio.

§. 3. Mit-